



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De episcopo per sacramentum purgato, & absoluto. cxcvi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*De episcopo per sacramenta purgato et ab-*  
*soluto. Cap. CXCVI.*

**M**enam verò reuerendissimum fratrem coepiscopumq; nostrum, postquam ea quæ de eo dicta fuerant requirentes in nullò inuenimus esse culpabilem: qui insuper ad sacratissimum corpus beati Petri apostoli sub iureiurando satisfaciens, ab his quæ obiecta eius opinioni fuerant se demonstrauit alienum: reuerti illum purgatum, absolutumque permisimus: quia sicut dignum erat, ut si in aliquo reus existeret, culpam in eo canonicè puniremus: ita dignum non fuit, ut eum adiuuante innocentia diutius retinere, vel affligere in aliquo deberemus.

*Qualiter senex episcopus corripendus sit, quomodo mali eius consiliarij excommunicandi. Cap. CXCVII.*

**P**rædicator omnipotētis domini Paulus apostol<sup>o</sup> dicit: Seniore[m] ne increpaueris. Sed hæc eius regula in eo referuanda est, cum culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuniorum. Vbi autem senior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est. Nam scriptum est, Laqueus iuuenum omnes vos. Et rursum propheta dicit: Et peccator centum annorum maledictus est. Tanta autem nequitia ad aures meas de tua senectute peruenit, ut eam, nisi adhuc humanitus pensarem, fixa iam maledictione feriremus. Dictum quippe mihi est, quod dominicorum die, priusquam Missarum solennia celebrares, ad exarandam messem latoris præsentium perrexisti, post exarationem eius Missarum solennia celebraisti. Post Missarum solennia, etiam terminos possessionis illius eradicare minimè timuisti. Quod factum quæ pœna debuit insequi, omnes qui audiunt sciunt. Dubij autem de tanta hæc peruersitate fueramus, sed filius noster Cyriacus abbas à nobis requisitus, dum esset choralis, ita se cognouisse perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur aliquando resipisce senex, atque à tanta leuitate morum & operum peruersitate compescere. Quanto morti vicinior efficeris, tanto fieri sollicitior atque timidior debes. Et quidem pœna sententiæ in te fuerat iaculanda, sed quia simplicitatem tuam cum senectute nouimus, interim tacemus. Eos verò quorum consilijs hæc egisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus, ita ut

*Ex re. ad*  
*Brunhil*  
*dã regi-*  
*nam Frã-*  
*corum,*  
*cap. 132.*

*Ex regi.*  
*cap. 37.*